DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE CHRONICA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HEPATITIDE CHRONICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MICHAEL DEVEREUX,

Hibernus,

CHIRURGUS.

Καὶ γαρ ἡ τοιαυτη νȣσος χαλεπὴ εϛιν ϗ χρονιὴ.—HIPP. *De Hepatitide*, Lib. De Aff. Intern. § xxix. ad finem.

Nulla re homines propius accedunt ad Deos quam salutem hominibus dando.—CICERO.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

VIRO PRÆCLARISSIMO

ET

ERUDITISSIMO,

ARTHURO BROOKE FAULKNER, EQUITI,

M. D.

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS SOCIO,

AD COPIAS BRITANNICAS NUPER MEDICO,

SERENISSIMO PRINCIPI

DUCI DE SUSSEX,

MEDICO ORDINARIO,

&c. &c. &c.

S. P. Q. D.

AUCTOR.

Occasionem nunc oblatam, Vir spectatissime, ad benigtitatem tuam erga me agnoscendam, lubentissime arripio. Primum equidem dubitabam, tibine peritissimo leve hoc tentamen dicarem, utpote penitus indignum quod tuo sit nomine inscriptum: attamen benevolentiæ tuæ confisus, dubitationes repressi, atque eo magis, quod tibi notum sit spatium mihi non contigisse, quæ dissertationem de re quavis, etiam levissima, expolitam efficerem.

Tuo sub judicio perito, salutem meam recuperavi: Te amicum fidelem, monitorem optimum, semper inveni, quorum recordationem grato animo fovebo.

Accipias, igitur, hoc, benignitate qua soles, et sinas Te ducem et amicum usque intuear. Diu vita utili perfruaris ex imo pectore voveo.—Vale.

FRATRI CARISSIMO,

NICOLAO DEVEREUX, M. D.

COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM LONDINENSIS SOCIO,

&c. &c. &c.

ARTEM SALUTIFERAM,

FELICISSIMIS AVIBUS,

WEXFORDIÆ EXERCENTI;

HANCCE DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

PROPTER SUMMAM CURAM ET SEDULITATEM,

QUIBUS A PUERITIA TENERA

AD HUNC USQUE DIEM,

CONSULUIT;

ET

OB BENEFICIA INNUMERA,

DUM HOS ARTUS VITA REGIT, NUNQUAM OBLIVISCENDA,

IN EUM COLLATA;

GRATISSIMI ANIMI INDICIUM,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

Aliter vetustis, aliter acutis medendum.

CELSUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE CHRONICA.

Auctore Michaele Devereux.

QUÆDAM PRÆFANDA.

Legibus hujus Almæ Academiæ obtemperans, per quas decretum est, unumquemque summos in medicina honores ambientem, proferre aliquid de re medica, Hepatitidem Chronicam, pro argumento thesis sequentis, selegi; quia, hoc morbo diu me vexato, necnon contigit mihi multa exempla gravia hujus morbi videre; a quibus cum meipso decrevi, si unquam mihi occasio oblata fuerit, de

hoc morbo disserere. Hepar magnitudinis primæ organum est, pro secretione bilis destinatum, fluidum ad chylificationem et expulsionem fæcum necessarium. Adeoque generale est imperium functionum hepatis, ut ullum earum vitium non possit, quin multum afficiat solitas functiones aliarum partium. Inter hos morbos qui jecur afficiunt, primum locum Hepatitis Chronica occupat; tum ob magnam frequentiam, tum ob tristem plerumque finem, attentionem nostram præcipuam sibi vindicat.

Nunc ad historiam morbi transeamus.

HISTORIA MORBI.

Hepatitis Chronica, ab celeberrimo Cullen ita definita est. Hæc sæpe nulla quibus dignoscatur signa præbet; aliquando tamen eandem adesse suspicari potest, ex hepatitidis causis quibusdam prægressis, ex sensu quodam plenitudinis et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plus minusve pungentibus in eadem parte subinde perceptis, ex dolore quodam a presso hypo-

chondrio dextro, vel a decubitu in latus sinistrum sentito, et denique ex pyrexia leviori cum dictis signis subinde infestante.

Verum est, illa definitio morbum designat, sed tantum in stadio confirmato; nulla definitio morbi in stadio primo data est; cognitio accurata cujus necessaria est, ad confirmatum avertendum. Igitur necesse est in stadia duo dividere, videlicet, Incipiens et Confirmatum.

In stadio incipienti plerumque sic sese ostendit. Functiones naturales plus minusve perturbatæ sunt. Diminutio vel depravatio appetitus, comitata inflatione molestiaque ventriculi et intestinorum, et sæpe cum ructibus amaris et acidis; morbum primo introducit. Constipatio fere semper adest, diarrhœa nonnunqam accidit, torminibus vel tenesmo comitata; caloris et ponderis sensus, potiusquam doloris abdominis, his signis supervenit; modo in hypochondrio dextro vel sinistro, modo in regione epigastrica vel hypogastrica, et haud raro ad sternum sentitus. Animus demissus est, cum febricula sub vesperam. Nonnunquam tussis molesta accidit, et sæpe cum expectoratione mucosa. Hæc tussis symptomatica

est, subque nomine Tussis Hepaticæ bene notata*. Dyspnœa post exercitationem levem sentitur. Fæces albidæ, subfuscæ vel cinereæ sunt, fere sub forma scybalæ induratæ, aliquando fluidæ. Urina deficiente vel turbida, sedimentum mucosum rubrum vel flavum deponente; haud raro limpida et copiosa. Pulsus frequens est, cum calore cutis præternaturali, et lingua albida, vel

---

* Cujus Doctor Paisley ita loquitur: "The cough is entirely a symptomatic complaint, and is the misleading symptom of the disease." "The patient pronounces his case a cold, and is put under a course of ineffectual pectorals, takes exercise, and shifts his situation for health, until his liver either suppurates, or becomes a mass of irrecoverable obstructions. In every irritable or inflammatory habit, any mistake at the commencement of the disease is of the most dangerous consequence. The liver, diaphragm, and lungs, adhere and suppurate. A purulent spitting succeeds; and instead of a pure, uniform pus, the substance of the liver is expectorated, with a deep hollow cough, in form of glandular membranes, of a purplish, bloody, parenchymatous look."—Paisley *On the Peculiar Diseases and Morbid Constitution of India.*—Curtis, op. citat. p. 198.

viscosa, præcipue mane. Potus frigidi optantur, et refrigerantes inveniuntur. Algores leves subinde supra superficiem diffusi sunt. Vultus pallidus et luridus est, languorem et oppressionem indicatque. Facies rubore subinde suffunditur, comitata plenitudine vel pondere capitis; etiam aliquando dolor capitis acutus adest, secutus somnolentia magnaque aversatione ad exercitationes consuetas mentis vel corporis perficiendum.

Signa jam memorata plerumque morbum in stadio primo designant, qui, si neglectus foret, vel remedia adhibita inefficacia sint, formam novam induere incipit, et cito in stadium confirmatum transit.

Symptomata omnia in stadio primo memorata nunc ingravescunt, et vires velociter labuntur; ita ut æger ad fungendum officiis debitis in totum inaptus fit. Febris cum ariditate cutis magna, plerumque cum tussi et spiritu difficili augetur. Hepar mirum in modum ampliatur, sub pressu doletque. Dolor obtusus ad claviculam et summum humeri dextri ascendit; modo in hypochondrio dextro vel sinistro sentitus, modo ad sternum vel dorsum tendens et sæpe pungens,

cum decubitu difficili in latus sinistrum. Aliquando æger in latus dextrum ob dolorem cubare non potest; sed positum horizontalem facillime fert, capite parum elèvato.

Morbo sic progrediente abdomen tumidum vel tensum evadit, sub vesperam cum œdemate pedum et talorum. Appetitus, qui cibum antea fastidivit, nunc morbide augetur, et plerumque magnopere desiderat. Post pastum sensus anxietatis gravitatisque cum flatu et languore circa ventriculum sentitur. Signa a prava concoctione ciborum oriri putantur; falso autem, nam ventriculus ob consensum ejus cum jecore, male se habet. Æger post exercitationem levissimam, de fatigatione maxima conqueritur. Vespere appropinquante, somnolentia, plenitudo et gravitas capitis, mirum in modum augentur.

Sæpe accidit, ut ægro stante vel ambulante, dolores obtusi in pectore sentiantur, et sæpenumero ab aliqua affectione pulmonum oriri putantur. Et cubante vel sedente, ictus arteriarum intermittere observatur. Oculi hebetes et subfusci sunt, facies colorem quasi nigrum-subfuscum ostendit.

Æger amorem societatis prius ei solitum et naturalem amittit, solitudini se recipit; mala maxima ex causis inæquis et levibus oritura formidat, omniaque pessima ex sensu quodam insolito, augurat. Animus demissus, morosus, et valde irritabilis est. Susurrus etiam eum trepidat. Dira somnia somnum sæpe subito et cum terrore rumpunt; vel post placidum somnum æger expergefacit nihil refectus; et de lassitudine, languore et molestia, ex motu corporis, conqueritur. Macies sæpe cum palpitatione auget, et tandem hectica evadit. Salivatio morbida haud raro accidit.

Alvus plerumque valde comprimetur, nec facile, nisi catharticis moveatur, aliquid demittit. Fæces albidiores fiunt. Urina ruberrima est, et immissa luteo colore tingens; sedimentum mucosum vel gelatinosum deponens. Flavedo oculorum et totius cutis valde conspicua est, ictero similis.

Jecore obstructo, et secretione bilis diminuta, plethora venosa in aliis visceribus chylopoiëticis sequitur; cui plethora arteriosa totius systematis succedit; ex qua hæmorrhagiæ venosæ et arte-

riosæ, ex intestinis, ventriculo, hepate, pulmonibus, renibus, naribus, gingivis, et auribus, oriuntur. Tandem ex effusione, ascites, hydrothorax, vel hydrocephalus sese ostendunt. Et aliquando, ob distensionem vel ruptionem vasorum cerebri, mors cito ægrum abripit. In athleticis et robustis unus vel plures abscessus sæpe formantur.

Sat dictum fuit, insidiosam et periculosam proclivitatem morbi ostendere, et necessitatem in stadia duo dividendi. Nam judicium medici ad detegendum amovendumque morbum, ita dirigetur.

TERMINATIONES MORBI.

Hepatitis Chronica in resolutione, suppuratione, vel scirrho, desinere potest. Raro eventum felicem habet; interdum sane, resoluta inflammatione, æger ad salutem reducitur. Sæpius tamen, inflammatio acuta, suppuratio, et ea durities, quæ minus recte scirrhus vocatur, quæque novam cohortem malorum ipsa gignit, consequuntur.

Resolutio—sola et unica est terminatio, quæ fausta existimari potest. Remediis idoneis adhibitis, obstructione amota, doloribus cessantibus, pulsuque ad statum naturalem rediente. Si ventriculus et intestina functionibus rite perfungi inceperunt; urinæ copia magna, sedimentum copiosum deponente, et fortasse hæmorrhagia e naribus vel vasis hæmorrhoidalibus, vel diarrhœa biliosa, et pro re nata sudoribus levibus; tunc liceat nobis putare morbum subactum, et ad felicem exitum perductum esse.

Suppuratio.—In hac insula rarius quam in terris soli torrido subjectis, suppuratio occurrit. Quando utcunque jam supervenerit, in Hepatitide Chronica quam in Acuta, majore periculo stipatur. Si rigores et horrores alternis vicibus accederint; urina rubra et parca, pulsu molliore, et aliis indiciis febris hecticæ, vel fluctuatione in hepate percepta; tunc liceat concludere, pus formatum esse. Nostris conatibus elusis, et pure formato, extrorsum nos oportet attrahere, si hoc perfici possit. Pus, ob adhæsiones, in ventriculum vel in intestina transeat, et per anum dejicia-

tur; vel in thoracem, et per os excreatur. In alterutro casu, multum periculi expectandum sit. Aliquando in abdominis cavitatem prorumpit, et tum cito, mors dira ægrum abripit.

Scirrhus.—Sub hoc cœlo, multo frequentissima, hepatitidis chronicæ terminationum est scirrhus. Hunc supervenisse signa sequentia testantur: ægri vultus varius et mutabilis, modo flavescit, modo pallescit; atque haud raro timorem et animi dejectionem exprimit; arteriæ aliquantum concitatæ, et inæqualiter salientes.

Plurimum dolent ventriculus et intestina, cum dolore gravitateque quadam circa præcordia; alimenti satis sumere nequit, et in tantum chylificationis processus læditur, ut vita nunc temporis vix diutius sustineri potest.

Nunc hydrops plerumque supervenit, cui facilis victima cedit. Aliquando hepate tam duro ampliatoque, ut manu comperiri possit; tunc dubitandi locus non superest. In aliis exemplis, multum extenuatur, et levius est quam integro homine.

CAUSÆ HUNC MORBUM INDUCENTES.

Multæ variæque causæ, hunc morbum inducunt. Inter quas collocantur, effectus animi deprimentes, intemperantia, ebrietas, præsertim liquorum spirituosorum usus immodicus. Exercitatio violenta et diu continuata, anxietas mentis, calor intensus, perspiratio suppressa, constipatio, scirrhus, excessus in edendo potandoque; febris continua et intermittens, inflammatio viscerum contiguorum; mutationes cœli subitæ, etiamque extrema frigoris et caloris, in prædispositis hunc morbum inducant; præsertim frigore corpori applicato jamdudum calore magno, eodem tempore exhaustoque. Sæpe invenitur in studiosis et sedentariis, et iis temperamento melancholico præditis.

DIAGNOSIS.

Hepatitidem Chronicam dignoscere necesse erit, a Dyspepsia, Rheumatismo, Pneumonia, et Gastritide.

Dyspepsia.—Haud raro dictu difficile est, an ventriculo an jecori malum incumbat. In stadio primo, Hepatitis Chronica toties dyspepsiam simulat, ut vel artis medicæ exercitatissimus dubius consilii hæreat. Tamen diagnosis accurata ab signis sequentibus formari potest. Pulsus et cutis febrescens status, color urinæ et fæcum præternaturalis, et vultus mutatus: medicus ad hæc signa præcipue animum attendere debet, quoniam exemplis multis hujus morbi, aliter obscuri et insidiosi, intuitus horum signorum, signum certissimum præbebit.

Sed in stadio confirmato facile distinguenda est. Ad hepatis regionem, pressura applicata, in plerisque exemplis, dolorem in humero et clavicula antea haud perceptum, excitabit; hoc vero non perpetuum est, sed ejus præsentia, cum flavedine oculi et cutis, diagnosin plurimum accelerabit.

Stadiis autem provectioribus, utrique morbi habent propria signa, et diagnosis accurata facillime formari possit.

Rheumatismus.—Ab Hepatitide Chronica

haud difficulter detegi potest rheumatismus. Dolor magis diffunditur, musculorumque cursum sequitur, ab uno ad alterum locum frequenter commigrans, et alternans cum artuum doloribus. Spiritus, uti homine sano, trahitur et emittitur, et vultus, coloris pene integerrimus, rubetque. Ex quibus vix errare licet.

Pneumonia.—In hac dolor maxime augetur, dum æger in latus affectum cubat, et præsertim sub inspiratione plena; febris vehementior ardet, spiritus gravior, tussis crebrior, sputum uberius est, sæpeque cum sanguine mixtum, et dolor ad summum humeri in pneumonia vix ascendit. In hepatitide febris haud adeo ardet, cum tussi leviore coloreque fæcum præternaturali, cum aliis signis hepatitidis jam dictis, plane pneumoniam ab hepatitide distinguunt.

Gastritis.—Hepatitis ab Gastritide ita dignoscitur; calore et dolore in ventriculi regione minus urgentibus, cibo, potu, et medicamantis sumptis, non protinus ejectis; sed in gastritide ventriculo instanter rejiciente quicquid ingestum.

PROGNOSIS.

Signa hujus morbi, præcipue in stadio primo, adeo sunt ambigua, ut sæpe priusquam cognoscitur, vel remedia idonea adhibita fuissent, exitum infelicem habet.

Imprimis debemus bene perpendere temperamentum, rationem vivendi, ætatem, speciem signorum, causas et stadium morbi, priusquam sententiam de ægri conditione tradimus.

Si morbis prægressis corpus non debilitatum fuit, ægrique consuetudines bonæ fuerint, remediisque tempestive in auxilium vocatis, amplificatione subacta; si alia symptomata morbi paulatim mitescunt; si color naturalis ad faciem restituatur, appetituque ad statum naturalem rediente, cum fæcibus flavis vel biliosis, urina sedimentum rubrum deponente; liceat nobis ægrum spe salutis hortari. Contra, si post medicamenta idonea adhibita, symptomata nihil mitescunt, potius vero ingravescunt, simul cum corporis extenuatione, prostratione virium, appetitus jactura,

febre ingravescente, pulsu frequentiore, sudoribusque eodem tempore nocturnis comitantibus, suppuratio multum timenda est, et caute prognosis dicenda est.

Suppuratione formata, æger citius vel serius lenta tabe consumitur. Sed, haud raro sine ægri exitio accidit, scilicet pure una cum bile in duodenum transiente, aut viam novam in intestina faciente, et simul cum fæcibus dejecto, aut extrorsum directo, abscessu patefacto; in hac via multi recuperant ægri. Autem si in cavam abdominis effunditur, lethalis evadit.

QUÆ INCISIS CORPORIBUS PATEFIANT.

Corporibus eorum, qui ab Hepatitide Chronica mortui fuerunt, investigationi subjectis, varia observantur phænomena, in diversis exemplis. Adhæsiones sæper inter jecur et partes vicinas reperiuntur, et haud raro ampliatio jecoris in tantum evasit ut abdominis partem majorem impleat, cætera viscera sæpe opprimens, ut plurimum actionem suam sanam impediat. Doctor Monro,

in prælectionibus ejus, se jecur pendens libras novemdecim vidisse affirmat. Aliquando lobus jecoris sinister tumens adeo ventriculum opprimit, ut ejus actione admodum inde turbata sævissimæ ærumnæ nascerentur: exemplum cujus vitii a MORGAGNIO traditur *.

Cum jecur diu ampliatum fuerit, fere notatur, ut penetralia intima ejus inflammata, tumefacta, indurata, et sæpe coloris purpurei; hujus speciei BAILEUS præclarus ita dicit †.

Nonnunquam autem ad dimidium imminuitur, et in aliis exemplis multo mollius quam in sano statu evadit; cujus Doctor PEMBERTON ita inquit ‡.

---

* Vide MORGAGN. De Sed. et Caus. Morb. Epist. 36.

† "When the liver is generally inflamed through its substance, it is a good deal enlarged in size, and of a purple colour; it is also harder to the touch than in the healthy state."

‡ "I have examined two patients, where the liver was found so soft, that the fingers passed through it with the greatest ease. The structure also appeared destroyed, so that it resembled a bag containing coagulated blood."—Vide PEMBERTON *On the Viscera.*

Præter hæc, tubera exigua in stadiis diversis sæpe inveniuntur, dura vel mollia, et nodata, alia in suppurationis statu, vel post suppurationem abscessus formantia. Hæc apud medicos Tubercula vocantur. Facies externa jecoris in hoc statu, fere, magis quam pro solito, albida, vel coloris cinerei, est. Hæc species hujus morbi accurate descripta est, ab amico meo erudito, Doctore T. Mills, Eblanæ, sub nomine, Scrofulo-Scirrhus, seu *Consumption of the Liver* *.

Hydatides sæpe inveniuntur in jecore, qui animalcula continere putantur †.

---

* Vide Mills "On Scrofulo-Scirrhus, or Consumption of the Liver."

† Vide Baillie's "Morbid Anatomy," p. 150.

DE METHODO MEDENDI.

"Non eadem omnibus, etiam in similibus casibus opitulantur."—"Quinetiam morborum in iisdem hominibus aliæ atque aliæ proprietates sunt; et qui secundis aliquando frustra curatus est, contrariis sæpe restituitur."

CELSUS.

IN sanatione hujus morbi, exhibitio remediorum nostrorum ordinata foret, non tantum ex violentia, sed necnon ex pertinacia symptomatum.

Et quoniam morbum in stadia duo divisi, medendi ratio in ambobus diversa erit.

Quo morbus tollatur in stadio primo, remedia optima sunt, Cathartica, Sanguinis detractio, et Vesicatoria; de quorum singulis pauca disputabo.

Cathartica—ad admovendum hunc morbum cum maximo fructu usurpata sunt, et libentius dari debent; inflammationem tollunt, et genus biliosum etiam emulgent; ita obstructioni occurrunt. Imprimis, si alvus valde comprimatur, pauxillum Submuriatis Hydrargyri pulvere Convolvuli Jalapæ conjunctum, dari debet; et postea

Sales Medii, quales, Sulphas Magnesiæ, Sulphas Sodæ, Phosphas Sodæ, Tartras Sodæ, et alia hujusmodi. In multis casibus, cathartica et diluentia, cum regimine parco, haud raro morbum amovent.

Sanguinis localis et generalis Detractio.—Sanguinis localis abstractio, semper comitata est commodo magno. Morbo perstante post catharticorum liberam exhibitionem, hirudinibus decem vel duodecim quotidie per dies duas vel tres, applicatis, sæpe conferunt levamen tantum, ut missionem sanguinis generalem averteat. Sed his remediis, morbo non cedente, opus erit sanguinis missione e brachio; et in hac evacuatione, per vires, ætatem, symptomata, et temperamentum ægri, dirigendi sumus; vix ac ne vix quidem, minus unciis decem vel duodecim simul emittendum est, et morbo perstante, evacuationem repetere debemus.

Vesicatoria.—In hoc morbo vesicatoria sæpe cum magno fructu adhibita sunt, sed detinenda, donec venæsectionis effectus experiamur. Humo-

ribus enim ad summam cutem inde impulsis, venæ interiores exinaniuntur, et ita inflammatio subigitur. At solum ineunte morbo vesicare licet.

Nunc restat, de modo sanationis optimo, in stadio confirmato, disputare.

Et Hydrargyrus locum primum tenet. Morbo remediis jam memoratis non cedente, tunc, et haud donec id temporis, usum hydrargyri in auxilium vocare possumus. In talibus casibus, plerumque sat erit, grana quinque, pilulæ hydrargyri, omni nocte dare, donec os et gingivæ teneræ factæ fiunt. Nonnunquam, cum aloë, aut ullo alio acri cathartico, conjungi potest; non tantum corpus minus irritat, sed etiam morbum certius tollit. Sed jecore ampliato, duro, et sub pressu dolente, tunc, sub forma unguenti, hydrargyrus utendum est nobis; et in usu ejus æger perstet, donec saliva copiose fluit. Et in casibus gravioribus, unguento tam diu opus sit, donec bis ter aut sæpius salivatio inducatur.

Si hoc præceptum non jure observetur, morbus sæpe cum majore violentia quam antea rever-

tebit. Et me judicante, in hoc restat error, qui auctores induxit, hydrargyrum in hepatitide specificum non esse putare. Quapropter, JACOBUS M'GRIGOR, Eques, latus dolens drachma vel duabus hujus, vel unguenti hydrargyri camphorati, omni nocte fricari præcepit; ad salivationem abunde excitandum, et donec morbus cederit continuari.

Aliquando accidit, ut hydrargyrum in aliqua forma exhibere non possumus, præsertim si in habitu scrophuloso, hepatitis chronica occurrit: in talibus casibus semper nocet potius qam adjuvat; tunc aliis remediis curatio tentanda sit. Sed fatendum est, in iis casibusubi usus ejus non contra indicatur, omnium remediorum præstantissimum esse.

Leontodon Taraxacum, ab Doctore PEMBERTON multum laudatur, in tractatu ejus eximio de viscerum affectionibus. Taraxaci succcum expressum foliorum ad libras duas diu, quotidie sumpsi, et dicendum est mihi, cum levamine tam parvo, ut vix dignum dictu.

Acidum Nitricum, in sanatione hujus morbi, hodie multum usurpatur; et præcipue a Doctore

Scott, quod medicamentum summis laudibus extulit; et jure, si testimonio multorum credere nobis licet. Tentamen æquum dedi, et mihi est potestas dicendi, virtutes mirandas ei attributas non possidere; sed cum aliquo fructu, sanationi auxiliari, dari possit.

Extractum Fellis Bovini, in multis casibus cum maximo fructu, sumi potest; præsertim secretione bilis multum diminuta.

Equitatio, ad levamen hujus morbi, et salutis universæ restaurationem, mirum in modum confert; et non omittenda foret, ubi res et cœlum permitterent.

Aquæ Cheltenhamicæ Salinæ,—omnibus aliis huc accommodatis, antecellere feruntur, et dicendum est mihi, jure; namque levamen maximum ab usu earum, eodem tempore, hydrargyro in quantitate parva sumpto, obtinui. Nec vero Cheltenhamiam, aliaque ad loca istiusmodi, relicto domo, se recipiunt, aqua sola bibenda, sibi consulunt; sed insuper cœlo mutando, et novis oblectamentis, animi pariter ac corporis valetudinem recreant. Et in iis casibus, ubi hydrargyrum in auxilium vocare non possumus, æger sine

mora, si res permitterent, ad Cheltenhamiam recurrat.

De omnibus remediis supra memoratis, in stadio morbi confirmato, hydrargyrus, (ubi usus ejus non contraindicatur) tantum remedium est, ex quo, sanatio absoluta expectanda est. Hepate in mole ampliato vel diminuto, hydrargyro sumpto in quantitate parva et diu continuato, systemata sanguiferosa tota et lymphatica stimulat, itaque, vasa secernentia et absorbentia jecoris; ad functiones sanas debitas excitata restaurataque sunt.

Victus.—Ex victu multum pendebit: cibus levis, nutriens et concoctu facilis foret; sæpe et singulis vicibus, in quantitate parva assumpta. Primo ex jusculis levibus, posteaque volucribus et carne vitulina vel ovina, constet; sed appetitui morbido, qui hunc morbum plerumque concomitat, satisfacere nunquam sumpta foret. Si imbecillitas magna sit, vinum dilutum parce dari possit. Sed ægrum oportebit omnia oleosa, frixa, et condita alimenta, præcipueque omnes liquores ardentes, caute evitare.

Quæ præcepta nisi serventur, remedia præstantissima nihil proficient.

"Edidi quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coëgerunt."—CICERO.

FINIS.